



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

De Michaële Archangelo quænam habemus ex sacris litteris. Sectio XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

est Ecclesia, & Angeli, quos habebit ministros, cum dracone, hoc est, demone, siue Lucifero, eiusque Angelis depugnabunt pro Ecclesie defensione. Quam expositionem tradunt Ansel. Laudun. in com. Apoc. Beda, Prim. Haymo, & reliqui in hunc locum, & D. Greg. ho. 24. in Evang. Nec verò, quod hoc praelium factum dicatur in celo, idcirco ad causam Luciferi pertinet: sumitur enim celum hoc loco pro Ecclesia, vt sepe alias diximus. Aduerte autè Angelos hoc loco tum in bonam, tum in malam partem accipi: siquidè & Angeli Michaelis, & Angeli draconis nominantur. Deinde subiungitur victoria Michaelis de dracone, cum dicitur: *Et non ualuerunt*, id est, non preualuerunt: *neque locus inuentus est eorum amplius in celo*, hoc est, in Ecclesia quoad predestinatos: *& proiectus est draco in terram*, hoc est, & superatus à predestinatis auxilio Michaelis ad terrenos homines peruertendos se conuertit: quemadmodum Areth. Primas. & Beda interpret. Atque post hanc victoriam gloriosè à demone reportatam, audita est celitum omnium Christo gratulantium acclamatio illis verbis comprehensa: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum.*

Ansel. Laud.
Beda.
Primas.
Haymo.
D. Gregor.

Celum hic
pro Ecclesia

Areth.
Primas.
Beda.

De Michaeli Archangelo quam habemus ex sacris litteris.

SECTIO XVII.

Quoniam Archangelus Michael præter illa beneficia & plurima, & maxima quæ modo in Ecclesia confert, multò magis extremis illis temporibus de re Christiana merebitur, quo tempore difficillimum illud bellum superatè dracone conficiens fideles ab Antichristi, demonisq; tyrannide vendicabit par est, vt hoc loco, quo honorificam de eo mentionem facit Ioan. nos etiam de eius laudibus non nihil dicamus. Sciendū igitur ex innumerabili Angelorum multitudine paucissimos nobis cognitos esse de nomine: & quidem si ex diuina, certaque auctoritate loquendum sit, tres duntaxat nominatim appellare possumus Michaellem, Gabrielem, & Raphaellem. Michaellem enim legimus Dan. 10. & 12. in epist. Can. Iudæ & hoc ipso c. Apoc. Gabrielem, Dan. 8. & 9. & Luc. 1. Raphaellem. Tob. 3. & deinceps vsque ad c. 12. Reliqua Angelorum nomina, quæ à plerisque afferuntur, non nituntur neque certa canonici alicuius libri auctoritate, neque antiqua Ecclesie traditione, sed partim ab Hebræis accepta, partim in apocryphis libris inuenta ad nos vsque peruenerunt, vt ex iis, quæ iam dicemus perspicuū fiet. Itaque Vrielem legimus in 4. lib. Esdræ (qui non est canonicus sicut neque tertius) c. 4. 5. & 10. eiusdemque sit mentio in can. Mis. Ethiop. vt refertur in 4. tom. Bibl. Sanct. Patr. meminit etiam Beda in collect. & secundus liber Sybill. carm. Ierem. habes lib. 4. Esdr. c. 4. vbi appellatur Archangelus. Eromiel, Saniel, & Azazel nominantur in 2. lib. Sybill. carmin. quæ referuntur in 2. tom. Bibl. Sanct. Patr. vbi cum sermo esset de extremo iudicio, sic vaticinatur Sibylla, vt creditur, Erythrea, quam magni facit August. lib. 18. de ciuit. cap. 27.

Trium Angelorum nomina sunt in sacris litteris: reliqua incerta auctoritatis.

Sibylla Erythrea vaticiniam.

*Tunc Eromiel, Vriel, Saniel, Azazelque.
Quæ mala quisque hominum patrauerit, ante scientes
Et terris animas tenebris caliginis omnes
Iudicio sistent ad formidabile Patris
Magni immortalis solium.*

II. Rumiell, & Paniel celebrantur à Beda in collect. illisque se ipse commendat his verbis. *Gabriel esto mihi lorica: Michael esto mihi baltheus: Raphael esto mihi scutum: Vriel esto mihi protector: Rumiell esto mihi defensor: Paniel esto mihi sanitas.* Ad hæc Iehudiel, Barathiel, Escaltiel nominantur in hymno de septem Angelis assistentibus, quem composuit Antonius Ducas, vir famosus, qui floruit tempore Pauli 3. Pont.

Beda.
Antonius
Ducas.

VIE
Iudæ
Apoc.
c. 12

Pont. Max. Deniq; Ioā. Capniō vir doctus Maximiliani Imperatoris cōsiliarius, cuius à calumniatoribus quibuldā defendendī causā Petrus Galatinus Minorita cōposuit libros suos de Arcanis Catholicae veritatis, doctōq; Maximiliano dicauit: is igitur Capniō in sua arte Cabalistica multa alia Angelorū nomina affert ex traditione Cabalistarum. Consciūt enim Cabalista Dei currū ex quatuor veluti gemmis, atque in dextra parte constituunt gemmā, vnde lata omnia proueniunt, quam Michaelē vocant: in sinistra alteram gemmam, vnde tristitia, durāque ortum habent, quā appellant Gabriele, deinde tertiam ponunt ex superioribus quasi mistam, quā dicunt Raphaelē, quārtam trium superiorum quasi dispensatricē, quam Vriēlem nuncupant. Itaque Michaelē, & Gabriele pro duabus rotis constituunt, Raphaelē pro throno, siue stella, quā sit media inter rotas, Vriēlem pro axe circa quem currus voluitur. Denique adiiciunt Nuriēlem tanquam temonem, cui alligatus est currus: volūtq; hos quinque diuini currus siue gemmas, siue partes expressas fuisse Cant. 3. cum dicitur, *Ferculū fecit sibi Rex Saba* homo de lignis Libani: colūnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: quia enim pro eo, quod nos habemus purpureum, est Hebraicē, *Argaman*, volunt in eius nominis literis quinque nominatos Angelos significari: primāque literam, quā est aleph, significare Vriēle, qui Hebraicē per aleph initio scribitur, per secundam *R*, Raphaelē per tertiam *G*, Gabriele, per quārtam *M*, Michaelē per quīntam *N*, Nuriēlem. Hebraei prāterea addunt Zamāclem, Zādchiclem, & Caphziēlem. Sed hāc omnia, vt diximus, incertā sunt auctoritatis prāter tria illa Michaelis, Gabrielis, Raphaelisque nomina initio à nobis commemorata.

Porrō Gabriele, & Raphaelē interim prātermisiss de Michaelē, de quo agere instituimus, est in primis testimonium illud illustrissimū Dan. 10. vbi Gabriel Angelus, qui cum Daniele loquebatur, sic ait. *Ego veni propter sermones tuos: Princeps autem regni Persarum resistit mihi viginti, & vno diebus. Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi, iuxta Regem Persarum.* Pro cuius loci intelligentia aduertendum est primo dubitari à multis, vtū Angelus ille Persarū bonus fuerit, an malus? Et quidem malū Angelum fuisse crediderūt Ioan. Cassian. collatione 8. c. 13. & Rup. lib. 9. de victoria verbi Dei c. 6. in eandēque sententiā conatur pertrahere D. Hieron. in com. Dan. Verū quicquid ipse sentiat, nō obscure significat Hier. hunc Principem Persarū bonū Angelum fuisse: siquidem illi commissa erat Persidis provincia: quā sententia etiam est D. Greg. lib. 17. Mor. c. 8. Theod. in comment. in Dan. & D. Thom. 1. part. q. 111. art. 7. Deinde dissentiebāt huiusmodi Angeli interim, dum eis Dei voluntas non erat explorata: quare Angelus Persarum, cui Persidis Prouincia commissa erat, contendebat non esse Hebraeos ex Babylonica captiuitate liberandos, tum quia ipsi his malis meliores fiebāt dante vexatione intellectum: tum quia eorum consuetudine multi ex Persis relicta idolorum superstitione verū Dei cultū amplectebantur. Contra verō Gabriel & Michael eorum libertatem pugnacissimē curabant alijs etiam iustissimis de causis: tum quia Persarū consuetudine plerique Hebraeorū ad idola colenda traducebantur: tum quia inter Hebraeos plurimi erant sanctitate prāstantes, veluti Daniel, & alij, qui tam diu turnā captiuitatē nequaquā merebantur: deniq; quia opus erat Deum stare promissis, qui videlicet pollicitus fuerat eiusmodi captiuitatem non amplius 70. annis duraturam, quod tamen tempus iam effluerat: & quia Gabriel meliorem causam tuebatur, venit in eius adiutorium Michael: quoniam, vt ait D. Greg. hāc Gabrielis defensio aduersus Angelum Persarum ad Michaelē verē pertinebat, quippe qui erat Hebraei populi prāpositus. Ex quo col-

Io. Capton.

Currū Dei ex quatuor Angelis consciunt Cabalista.

Cant. 3. 9.

III.

Dan. 10. 12.

Ioan. Cass. Rupert. Angelus Persarum bonus non malus. Angelus fuit. D. Hieron. D. Gregor. Theodoret. D. Thom. Contentio inter Persarum Angelū, & Gabrielem vnde orta.

D. Greg.

ligimus magnam Michaelis potestatem, qui nimirum soleat ad reliquos Angelos inferiores adiuuandos accedere, & cuius ope, & auxilio indigeat Gabriel, quem ex supremo ordine esse, sectione sequenti docebitur.

Secundò. Est illud quoque de Michaelē celeberrimum, quod cum diabolo disputasse dicitur de Moyſi corpore, ut refert Iudas in sua epist. canonica. *Cum Michael inquit, Archangelus cum diabolo disputans altercatur de Moyſi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiam: sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Est autem sensus diabolū voluisse Moyſi corpus reuelari, ut Hebræos ad illud adorādū, atque adeo ad idololatriam incitaret: quod tamen Michael passus non est. Replicandū autem est illud, quod scribitur Deut. 34. ascendisse Moysen de cāpēstribus Moab super montem Nebo in verticem Phasga contra Hiericho, ibique mortuum iubente Domino in terra Moab, sepulchrumque in valle terræ Moab contra Phogor, sepulchrumque fuisse in valle: sepulchrumque eius vsque in præsentem diem ignorari. Quo loco aduertendū est, cū dicitur Moyses nō in mōte, in quo obiit, sed in valle terræ Moab sepultus, innui, ut vult Cai. corpus eius visibiliter trāslatū fuisse à loco in quo obiit, ad vallē, in qua sepultus est: aliās enim nesciretur, ut in mōte, an in valle sepultus fuisset: quare proculdubio viderūt multi corpus ad vallem afferri: sed incognitus tamen mansit locus, in quo Angelorum ministerio fuit repositum. Ex hoc Iudæ testimonio duo habemus Michaelis encomia clarissima: vnū est Michaelē pro nominis sui, & officij ratione omnē idololatriæ occasionē amputare voluisse, atque idcirco noluisse sepulchrū Moyſis reuelari: est enim eius propriū munus pro Dei honore in campū descendere: vnde in suis vexillis militaribus illud inscriptū gerit: *Quis sicut Deus: Alterū est exēplo suo docuisse, quantum fugiendū esset, non dico blasphemiam, sed ipsum etiā maledicentiæ crimen: huius enim rei gratia Iudas factum præcedens de Michaelē cōmemorauit, quod ne ipsi quidem dæmoni ausus fuerit maledicere. Obseruandum est autem verbum illud, Non est ausus, quod significat Michaelē tanquam rem execrandam maledicentiā, & imprecationē refugisse.*

Sepulchrum
Moyſis igno-
ratur.

Cases.

Maledicentia
quam sit
execranda.
Iudæ. 9.

Dan. 12. 1.
Michael An-
tichristi tem-
pore pro Ec-
clesia pugna-
bit acerrimè.

2. Theſſ. 2.

D Chrysoſt.
D Hieron.
Mag. histor.
Theodor.
Antichristū
interficiet
Christus vel
per se, vel per
Michaelē.

Tertiò. Legimus Dan. 12. *In tempore illo conſurget Michael Princeps magnus, qui ſtans pro filijs populi sui: & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo Gentes esse cœperunt, vsque ad tēpus illud.* Quo loco prædicit Gabriel Michaelē tempore Antichristi tanquam Ecclesiæ præsidē pro eius, fideliūque defensione acerrimè pugnaturū, illaque omnia effecturū, quæ hoc ipso c. Ioannes cōmemorauit, ut locus hic quædā videatur illius cōmētatio, & expositio. Aduertendū est autem pro eo, quod nos habemus, cōsurget, esse Hebraicè verbū *Ghamad*, quod verbū significat roborare, & sustinere: vnde deducitur nomē *Ghamud*, id est, colūna: quare significatur Michaelē futurum eo tempore columnā quandā immobilem, ac fortissimam, qua totum Ecclesiæ ædificium sustinebitur. Quartò. Agens Apostolus de Antichristo secundæ Theſſ. 2. sic ait: *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Quid autē Paulus intellexerit illis verbis, *Spiritus oris sui*, non omnes eodē modo interpretantur: communior tamen expositio est Christum interfectorū esse Antichristum *Spiritu oris sui*, id est, imperio, & mandato quemadmodū exponūt D. Chrysoſt. homilia quarta in 2. epist. ad Theſſ. D. Hier. & reliqui interpretes ibidē: idque vel per se ipsum immediatē, ut existimauit Magister histor. scholasticæ. super Danielē, visione 10. vbi ait ascendente per aëra Antichristo audiendam vocem Christi de cælo, *Morere*, & confestim fulmine percussum interiturum: idēque ferē est iudicium Theod. in locum Pauli citatum. Cum, inquit, Dominus ex cælo apparuerit, loquetur tantū scelerato isti interiturum afferet, citatque in huius rei confirmationem illud Esaiæ 11. *Spiritus labiorum*

suorum

suorum interficiet impium: aut certe mediate per Michaëlem Archangelum: quam expositiōnem afferunt Carthus. Hugo Card. & D. Tho. qui docet duobus modis posse ea verba exponi: vno modo, vt sit sensus: *Interficiet eum spiritu oris sui*, id est, zelo iustitiæ, qui est amor, spiritus enim Christi est amor: Christi, & hic zelus est Spiritus sancti, quem habet ad Ecclesiam. Altero, vt ita locum accipiamus: *Interficiet eum spiritu oris sui*, id est, mandato suo. *Quis*, inquit, *Michael interfecit eum in monte Olivæ, unde Christus in caelum ascendit*. Iuxta quam expositiōnem vides, quantæ sit laudis siue appellari Michaëlem spiritum oris Christi, (quæ expositiō minime repugnat contextui) siue ex Christi imperio committi Michaeli tanquam supremo secundum Christum iudici, Diuinæque iustitiæ præsidii maximum omnium tyrannorum Antichristum capitis supplicio perimendum.

Postremò, Illustrissimæ quæque apparitiones, quæ olim Patrib. acciderunt, Michaëli attribuuntur à Pataleone Diac. & Cartophylace magnæ Eccles. in suis de Michaële homiliis, quas habes apud Aloysiū Lipom. in festo Michaelis, vnde sequentia delibauimus. Primū igitur de Michaële accipiendū est illud Pl. 33. *Immitte Angelus Domini in circuitu metæ tuæ, & accipiet eos. Quo loco pro, Immitte. 70. trāstulerūt, Castra metabitur*: & D. Hier. ex Hebræo vertit: *Circūdāt in gyro*, vt opponatur Michaële dæmoni, qui etiā dicitur tāquā leo rugiens circuire. Itaq; significatur Michaëlem Angelos in more exercitus instruere ad fideiū defensionē: quodd enim instar militū in acie Angeli nos tueantur, ostēdit locus ille Gē. 32. vbi cū Iacob Angelos vidisset, dixit: *Castra Dei sūt hæc*: & 4. Reg. 6. *Mōserat plenus equorū, & curru igneorū in circuitu Esai*: & Christus Matt. 26. *An putas, quia nō possum rogare patrē meū, & exhibebit mihi mōdō plus quā 12. legiones Angelorū?* Constat enim legionē nomen esse militare. Est igitur Michaële supremus Angelici exercitus pro Deo imperator, sicut Lucifer dæmonū: nā quodd etiā dæmones in more exercitus ordinētur aduersus homines probat Ter t. li. 4. cōtra Marc. c. 20. ex verbis illis Luc. 8. vbi dæmon quæ situs à Christo, quodnā sibi nomē esset: respōdit: *Legio*: quod nomē, vt diximus, militare est. Cum inuenis, inquit, in vno homine multitudinē Dæmonū legionē se professam, dilce Christum impugnatorē spiritualium hostium spiritualiter armatum, spiritualiter bellicosum intelligendum, atque ita ipsum esse, qui cum legione quoque dæmonum erat dimicaturus, vt & de hoc bello intelligi possit illud Plal. 23. *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio*. Secundò, Michaële fuit, qui Adam ē paradiso eiectum direxit, & terram ligone docuit colere, seminare, metere, & ad reliqua, quæ vtilitatem afferbant, instituit: quemadmodum docet idem Pantaleon loco citato. Tertiò, Is fuit, qui Abrahæ gladium cohibuit, ne filium occideret, & in eo benedixit omnes Gentes. Genes. 22. Quartò, Legislatori Moysi oues pascenti apparens totus igneus in medio rubi, eumque vrens absque vlla rubi iactura sanctissimæ Deiparæ mysterium adumbravit. Exod. 3. Quintò, Is apparuit Balaam in via, eumque pergentem ad maledicendum populum emendauit. Num. 22. Sextò, Dedit legem in monte Sinai. Exod. 20. Septimò Iosue aciem aduersus hostes dirigenti visus est stricto gladio, eumque animauit, vt manus fidenter consereret. Iosue 5. Octauò, Gedeoni apparuit, ab ipso que fuit adoratus, & extensa virga, quā manu tenebat, tangens carnes, quas sibi Gedeon obtulerat, igne excitato consumpsit: eumque adiuuit, vt trecenis tantum militibus infinitam Madianitarum multitudinem profligaret. Iudic. 6. & 7. Nonò, Is fuit, qui centum octoginta quinque millia Assyriorum in exercitu Sennacherib vna nocte interfecit. 4. Reg. 19. Decimo, Vna cum Azaria, & reliquis ascendit in fornacem, flammamque instar toris effecit, tresque pueros illa suos conseruauit. Dan. 3. Vndecimò, Danielem Dan. 3.

VI.
Pantaleon.

Psal. 33. 8.
Septuag.
D Hieron.
1. Pet. 5.

G. n. 32. 2.
4 Reg. 6. 17.
Mat. 26. 53.

Vt Lucifer
dæmonum se
Michael An-
gellorum pro
Deo impera-
tor.

Tertullian.
Luc. 8. 30.
Christus spi-
ritualium ho-
stium expu-
gnator.
Psal. 23. 8.

Genes. 22.
In veterite-
flamento se-
pe apparet
Michael.
Exod. 3.
Num. 22.
Exod. 20.
Iosue 5.

Luc. 6. 17.
4. Reg. 19.

Dan. 3.

in lacum leonum coniectum seruauit, oraque leonū frā nauit. Dan. 6. & 14. Duo-
decimō: Abacuch cincto capitis apprehensum ex Palæstina cum prandio Ba-
bylonem adduxit, vt pasceret Danielē: eūque rursus repente in suū locum resti-
tuit. Dan. 14. Decimotertid. Is erat, qui probaticæ piscinæ aquas cōmouebat, &
sanctificabat in figuram baptismatis, ita vt qui primus descendere in piscinā, ab
omni agitudine curaretur. Ioā. 5. Decimoquartid. Is est, qui editurus est sonū il-
lum terrificum tuba illa, cuius meminit Apostolus 1. Cor. 15. ad cuius clangorem
mortui omnes resurgent, & ante Dei tribunal iudicandi consistent. Denique. Is
est, inquit Pantaleon, qui fidelium populorum Ecclesias exhilarat: Romanorum custodis tempu-
licans. Imperatorem armat aduersus Barbaros, Christianos reddit victores, ab ingentibus maris
fluctibus eos, qui ipsum inuocant, eripit, fertilitates fructuum terra suppeditat, consolatur pusilla-
nimes: agros uisitat, fide iubet pro peccatoribus, Demonum impetus propulsat, uitiorum flam-
mam restringit. Hæc sunt, quæ in sacris literis partim expresse, partim iuxta Pantaleonis
sententiam de Michaelē memorantur, in quibus, si quis singula expendat,
illustrissima Michaelis præconia continentur: nunc quem honore gradum inter
cæteros Angelos obtineat paucis dicendum.

I.

Michaelem supremum Angelum esse eorum, qui remanserunt,
ostenditur.

SECTIO XVIII.

D. August.
D. Ioan. Damas.
Tertul.
Omnibus An-
gelis nature
prestantia
excellit Lu-
cifer.
Orig.
D. Hieron.
Iob 40. 14.
D. Gregorius
Aust. Mira.
D. Isidor.
D. Bernard.
D. Thom.
Magist.
Ezech. 28. 14.
Lucifer cur
post lapsum
dictus Cher-
ub.
D. Thom.
11.
D. Hieron.
Iude 19.
Dion. Areop.
quos, &
quos Angelo-
rum ordines
contineat in-
fima hierar-
chia.
Dan. 10. 13.
E. 12. 1.
Michael ex
supremo or-
dine suprema
hierarchie.

NON querimus vniersè, vtrū Michael supremus sit omnium Angelorū, tam
qui corruerunt, quàm qui remanserunt, quoniam Luciferū omnibus An-
gelis nature præstantia excellere quàm neget D. Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. cap.
10. & lib. 11. c. 19. & D. Ioan. Damal. li. 2. fidei c. 7. cōmuniō tamen est Doctorum
& probabilior sententia, quàm diserte tradiderunt. Tertul. lib. 2. aduersus Marc.
Orig. tract. 9. in Matt. D. Hieron. in comm. Iob super illa verba c. 40. *Ipsè est princi-
piū uisariū Dei.* D. Greg. lib. 4. Mor. c. 13. & lib. 32. c. 18. (& refertur de penitentia dist.
2. cap. *Principium*) & hom. 34. super Euang. Auctor operis de mirabi. sacre Script.
quod falso tribuitur Aug. lib. 1. c. 2. D. Iud. lib. 1. de summo bono cap. 12. D. Bern.
serm. 1. de aduentu, & in tract. de gradibus humilitatis, & superbia, D. Thom. 1. p.
q. 93. a. 7. Mag. in 2. sent. dist. 6. & ibi omnes Scholastici. Nec refertur, quod Luci-
fer appellatur *Cherub*, Ezechielis 28. *Tu Cherub extensus, & protegens:* ratio enim eius
appellationis, vt auctor est D. Thom. loco proxime citato ea est: quòd cum in Lu-
cifero non manserit charitas, sed tantum naturalis scientia, qua cæteris Angelis
præstabat: idcirco post lapsum deperdito nomine *Seraph*, quòd ardentem chari-
tate significat, retinuit appellationem *Cherub* quòd sonat plenitudinem scientiæ.
Cum igitur Michael inferior Lucifero fuerit, illud superest disputandum, num
saltem inter Angelos, qui remanserunt, principatū teneat: D. Hier. in com. super
Dan. c. 10. docet appellari Michaelem eo loco vnū de primis Principib. id est, Ar-
changelū: & Iudas in sua epist. canon. Archangelū nominat: putantque Theologi
communiter Michaele esse ex supremo ordine infimæ Hierarchie, id est, ex Prin-
cipatibus, quòd acceperunt ex D. Dion. Areop. lib. de cælest. Hierar. c. 9. ubi ponit
Michaele in infima Hierarchie, quæ Angelos, Archangelos, & Principatus com-
plectitur. Cæterum collocandum esse Michaele in suprema Hierarchie, imò & in
supremo eius ordine, qui est Seraphinorū, liquidd videtur cōcludi ex Dan. 10. ubi
dicitur *vnus de Principibus primis*: & ex c. 12. ubi appellatur *Princeps magnus*: quomodo
enim vnus ex Principibus primis, & princeps magnus dici potuisset, si in in-
fima Hierarchie, hoc est, in postremis, & gregariis Angelis esset numerandus? De-
inde cum Michael dicitur *vnus de Principibus primis*, sanè videtur alludi ad septem
illos